

ARTICULUS III. — QUESTIONES PRACTICÆ CIRCA RECITATIONEM ET CANTUM OFFICII DIVINI.

* 539. — I^o *Qui teneantur recitare divinum officium, et quid ipsis præstandum ut obligationi satisfaciant?*

Duplicis generis personæ tenentur ad recitationem divini officii, scilicet clerici et regulares. Cum de regularibus dictum sit in sectione *de Statu religioso* (n^o 481), et aliunde eadem sint regulæ servandæ seu clericis, seu regularibus, in iis quæ sunt recitationis divini officii, satis erit in præsentî de clericorum obligationibus specialiter tractare.

I. Clerici duplici titulo obligari possunt, nempe ordinis sacri et beneficii. Obligatio a sacris ordinibus orta, incipit die et hora ordinationis clerici in subdiaconum, et illum ad finem usque vitæ afficit, etiamsi, quod Deus avertat, statum clericalem sacrilege deseruerit, aut fuerit canonicè degradatus.

Theologi thesim demonstrare student ex textibus juris qui in *Distinctione* xci et in aliis partibus leguntur; cum vero canones a Gratiano collecti de solis presbyteris, aut etiam de officio publico tantum statuunt, non de recitatione privata extra chorum, « melius et liquidius probatur conclusio, ait Billuart, « ex generali Ecclesiæ consuetudine vim legis obtinente, « quod patet 1^o quia constanter observatur, cum non levibus « incommodis; 2^o quia pessime habentur apud omnes pios qui « hoc pensum negligunt: his enim duobus indicii colligunt « doctores consuetudinem aliquam vim legis graviter obligantis « habere. » (*De Horis canonicis*, art. viii, § 5.) Obligationem consuetudine introductam sæpius, iteratis Constitutionibus, confirmarunt SS. Pontifices; adeo ut nulla sit ratio dubii, nec ulla inter DD. hac de re quæstio moveatur.

* 540. — II. Ut legi satisfiat, necesse est ut Horæ canonicæ recitentur tempore debito, juxta ordinem præscriptum, et cum intentione, saltem virtuali, orandi.

Quoad tempus hæc notanda: 1^o Nocturnum cum laudibus recitari potest pridie, statim ac effluxerit tertius quadrans diei, id est, sol medietatem sui cursus perfecerit a suo meridiano ad occasum; et persolvi regulariter debet a sacerdotibus antequam sacrum celebrent. Ita requirunt rubricæ Missalis Romani, et firmat consuetudo. 2^o Horæ minores dici debent: Prima et Tertia ante meridiem, Sexta et Nona ante Vesperas, Vesperæ et Completorium ab hora meridiana ad mediam noctem.

« Censent communiter DD., ait Billuart, non excedere culpam venialem, si totum officium, incipiendo a Matutinis, « intra viginti quatuor horas, a media nocte ad mediam noctem subsequentem, integre persolvatur, quia servatur substantia præcepti. » Hinc sanctus Alph. de Liguori concludit sufficere quamvis causam utilem, seu honestam, ut, intra hoc tempus, quis possit anticipare vel postponere recitationem Horarum. Eadem decisio datur pro celebratione Missarum ante persolutum officium nocturnum, quandoquidem inversio illa ordinis, respectu matutini et Missæ, non videtur gravior quam respectu horarum inter se. Causas sufficientes pro anticipatione horarum reputat sanctus Liguori, concionem parandam vel audiendam, periculum supervenientis occupationis, majorem devotionem sive quietem, tempus ad studium aptius, et his similia. Quoad celebrationem Missæ, hæc exempla affert: si dans eleemosynam postulet ut sacerdos statim celebret, si expectet populus, si instet commoditas studii, itineris... (Lib. IV, n^o 175; lib. VI, n^o 547, *Theologiæ moralis*.)

Quoad ordinem præscriptum: 1^o forma specialis uniuscujusque diei, prout fit de dominica, de festo, vel de feria, servanda est juxta rubricas. Peccaret graviter qui, pro suo nutu, unum officium loco alterius recitare præsumeret. Erit tantum venialis culpa, si levis sit mutatio; et omni culpa innocens habetur clericus, si id inadvertenter egerit. Non putamus illum teneri,

hoc in casu, ad iterationem recitationis officii. « Si advertas « errasse, ait S. Liguori, postquam multum processeris in officio indebito, puta si dixeris Matutinum, tum potes vel « prosequi, vel reliquum recitare de proprio... ne errorem prosequaris. » (Lib. IV, n° 161, *Queritur*, 5°.) 2° Non licet intervertere, absque causa, ordinem constitutum inter singulas horas, recitando, v. g., Vesperas ante Nonam; nec magis licitum est horam inceptam interrompere. Verumtamen, cum nec horarum interversio, nec earumdem interruptio, obstet quominus servemus substantiam præcepti, modo integrum officium recitaverimus intra diem, culpa non reputatur gravis. Singuli psalmi sunt orationes, et partes, quamvis non recitentur continue, moraliter tamen uniuntur in mente recitantis, et unum officium formant. Hinc plures quos citat, nec improbat S. Liguori, concludunt « posse eum, qui hodie inceptit Matutinum, « illud complere in crastino sine peccato gravi, etsi differat sine « causa. » (*Loc. cit.*, n° 168.) Nullius peccati, nequidem venialis, reus erit si adsit causa honesta.

Alia conditio requisita ad satisfaciendum præcepto, est intentio, saltem implicita, orandi. Omnes theologi et canonistæ admittunt necessitatem intentionis internæ orandi, et simul attentionis quam externam vocant, et quæ in eo consistit ut non fiant actus alii externi cum oratione insociabiles. An vero aliquid ulterius requiratur, non convenit inter doctores.

Plures arbitrantur nihil amplius requiri, adeo ut qui horas recitat cum actuali et voluntaria mentis evagatione, præcepto substantialiter satisfaciatur, modo habeat intentionem orandi, cum attentione externa. Suam assertionem multiplici ratione probant: 1° Oratio est petitio decentium a Deo; porro, non repugnat quominus aliquis Deo petitiones offerat, etiam cum interna et voluntaria distractione, si horas canonicas recitet cum intentione orandi, et cum externa attentione. 2° Si attentio interna, seu ad Deum, seu ad sensum verborum, seu etiam ad ipsa verba, requiratur ad essentiam orationis, qui involuntarie dis-

trahitur non satisfaciatur officio; siquidem attentio mentis, nequidem virtualis, permanet in eo qui mentem alibi occupatam habet; atqui certum est apud omnes impletionem præcepti recitandi officium divinum non impediri per involuntarias distractiones. 3° Ecclesia non præcipit actus mere internos, qualis est attentio mentis.

Alii communius tenent necessariam esse attentionem internam, sicque arguunt: 1° Ecclesia præscripsit recitationem Horarum quæ sit vera oratio, apta ad gloriam Dei procurandam et implorandum ejus auxilium; sed, quidquid dicant patroni prioris opinionis, formulæ precum, recitatae cum voluntaria mentis evagatione, non sunt vera oratio. Non sufficit ad orandum ut quis habeat intentionem orandi: oportet ut revera oret. Si velit Deo preces offerre et mentem a Deo distrahere, vult et non vult; hæc enim insimul componere nequit: ergo non satisfaciatur præcepto qui recitat animo voluntarie distractus. 2° Ecclesia non præcipit actus mere internos, potest vero præcipere recitationem precum per modum orationis, ad Deum colendum: igitur cum non consistat vera oratio cum voluntariis evagationibus, sequitur legem orationis externæ comprehendere præceptum attentionis internæ. 3° Qui distractiones mentis invitatus patitur, non violat præceptum, et vere Deum precatur, siquidem habet, etiam in ipso momento distractionis, intentionem perseverantem orandi, cum pio orationis affectu: qui e contra mentem voluntarie distrahit, revocat implicate primam intentionem, et desinit in eo affectus orationis: in hoc momento temporis non precatur.

Hæc opinio, sicut communior, ita et probabilior nobis est. Cæterum, notare juvat ad scrupulos abjiciendos, et ad levandum animum recitantis Horas, satisfacere posse præcepto qui, etsi mente ad alia distractus, non advertit tamen se ab oratione distrahi, dummodo moraliter adhibuerit media consuetam ut se ad orationem disponeret; in quo certe habenda est ratio humanæ fragilitatis. (Cf. S. Liguori, lib. IV, n° 177.)

* 541. — II^o *Quonam Breviario clerici et regulares uti te-
neantur ad satisfaciendum suo officio?*

I. Omnes, sive clerici, sive regulares, qui, ad præscriptum Constitutionis *Quod a nobis*, debent officium divinum persolvere ritu Ecclesiæ Romanæ, uti tenentur Breviario jussu S. Pii V correcto, nec aliter « nisi hac sola formula satisfacere posse » in eadem Constitutione declaratum est. Excipe tamen, si Sancta Sedes usum alterius Breviarii ad tempus toleret, donec Episcopus opportunitatem nactus sit inducendi in suam diœcesim liturgiam Romanam. Hinc nonnulli concludunt clericum qui, casu fortuito, caret Breviario Romano, non teneri aliud Breviarium quod sibi presto foret, adhibere; quia, inquirunt, præceptum officii est indivisibile, id est, obligat simul ad illud recitandum, et quidem sub una formula præscripta. Alii aliter sentiunt, quorum opinionem, ut magis piam et rationabilem, sequendam censuit S. Alph. de Liguori, n^o 158.

Non sufficit uti Breviario Romano, nisi præterea adhibeatur exemplar impressum cum licentia Ordinariorum, vel Inquisitorum, collatione facta cum exemplari authentico, prout, sub pœna excommunicationis majoris, præcepit Clemens VIII, *Const. Cum in Ecclesia catholica*, an. 1692. Cum per tempus diuturnum prætermissa fuerit observatio hujus Constitutionis, adeo ut vix reperirentur exemplaria Breviariorum quæ præ se ferrent attestations necessarias Ordinariorum, Sancta Congregatio declaravit 26 aprilis 1854, atque iterum 18 febr. 1843: *Constitutiones pontificias in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum.*

II. Qui aliud Breviarium habent a Sancta Sede non simpliciter toleratum, sed vere approbatum, non possunt, nec in choro, nec privatim, uti Breviario Romano, si Episcopus prohibuerit usum alterius cujuslibet libri, præter Breviarii proprii diœcesis. Ita communiter doctores, qui tradunt unumquemque clericum teneri Horas canonicas recitare juxta formam in sua diœcesi, vel in suo ordine receptam et approbatam. Regulæ

generali derogatum non fuit per Constitutionem Pii V, qui clericis, in casu exceptionis constitutis, non concessit usum Breviarii Romani, nisi quatenus Episcopus illud pro sua Ecclesia, assentiente capitulo cathedrali, acceptaverit. « Hoc quidem videtur per se verius, ait Suarez; nihilominus propter opinionem, et quia res non est magni momenti, non auderem damnare peccati mortalis illum qui contrarium faceret. » (*De Horis canonicis*, cap. xxiii, n^o 9.)

III. Notandum regulares, quocumque Breviario utantur, debere celebrare festum patroni principalis loci, non quidem parochiæ intra cujus fines situm est monasterium, quandoquidem non censentur de parochia, ob exemptionem qua potiuntur, sed patroni civitatis, sub cujus patrocinio constituuntur eodem prorsus modo ac cæteri cives. Parochus autem et clerici Parochiæ addicti, tenentur celebrare festum patroni parochiæ. Festivitas patroni diœcesis et civitatis, omnibus æque incolis indicitur.

Parochus qui habet duas Ecclesias unitas, debet utriusque parochiæ patroni festum celebrare cum octava, ex præscripto rubricarum: non idem dicendum videtur, si præter suam Ecclesiam provideat capellæ annexæ, quæ non erigitur in titulum.

Qui transit per locum ubi festum patroni celebratur, minime tenetur suum officium privatum deserere, ut recitet officium proprium loci in quo aliquot dies morabitur; si tamen velit sacrum facere, aut alium actum publicum officii gerere, oportet ut se ritibus externis parochiæ conformet, ne plebem offendat diversitas.

542. — III^o *Quibus pœnis obnoxii sint clerici non recitantes Horas canonicas?*

Clerici qui solo titulo ordinis sacri tenentur ad recitationem Horarum canonicarum, nullam pœnam subeunt, jure communi, si suæ obligationi defuerint; nihil quippe contra illos lege ecclesiastica sancitum est, tametsi committant peccatum grave,

si vel unam horam omittant. Clerici verò beneficiati, præter reatum culpæ, incurrunt privationem fructuum sui beneficii, ita statuente concilio Lateranensi II, in sessione x^a. Idem præcepit Pius V Constitutione *Ex primo*, an. 1571, in qua statuitur ut « qui Horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus
« intermiserit, omnes beneficii, vel beneficiorum suorum fruc-
« tus qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie divi-
« derentur; qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui cæ-
« teras omnes horas, alteram dimidiam; qui harum singulas,
« sextam partem fructuum ejusdem diei amittat. » Alexander VII hanc propositionem damnavit: « Restitutio a Pio V
« imposita beneficiariis non recitantibus, non debetur in con-
« scientia ante sententiam judicis, eo quod sit pœna. » Diei potest legem non esse pœnalem, sed potius conditionalem, si, ut pluribus placet, beneficium ea conditione collatum sit ut onera huic annexa, et præsertim recitatio Horarum, rite adimpleantur (n^o 403): at, etiamsi pœnalis reputetur, stat nihilominus disciplina decretis conciliorum et Pontificum constabilita, eo magis quod nisi ita statutum esset, nunquam fere fructus restituerentur, cum vix probari possit aliquem non recitasse privatim horas.

Quæstio autem inter canonistas agitur quonam sensu sumenda sit obligatio restituendi *pro rata parte omissionis*; an illud intelligatur de sola omissione recitationis Breviarii, adeo ut qui cætera officia sui muneris, præter solam recitationem breviarii, rite expleverit, teneatur nihilominus ad restitutionem omnium fructuum beneficii; an e contra intelligatur de omissione aliorum simul onerum tituli, adeo ut restitutio fiat pro rata hujus prætermissionis parte, et si sola recitatio defuerit, restitutio huic tantummodo parti muneris respondeat. Scinduntur ea de re doctores.

Plures interpretantur Bullam Pii V de omnibus fructibus beneficii, et hæc sententia communior videtur: est aliunde conformior textui Bullæ quem mox retulimus. Ita Suarez, de

Horis canonicis, xxx. Alii legem interpretantur juxta sensum benigniorem, qui illis videtur magis æquitati consonus, quando beneficium, v. g., munus pastorale, alias plures obligationes complectitur, præter recitationem Horarum. Hanc opinionem communem esse in schola sancti Thomæ asserit Billuart (*de Religione*, dissert. II, art. VIII); eandem probabilem dicit S. Liguori, n^o 151. Æquitas rigori juris præferenda est, si lex favorabilem interpretationem admittere possit: porro ex una parte æquitas suadet ut restitutio fructuum respondeat prætermissioni obligationum beneficii; ex alia autem parte auctoritas tot doctorum sufficit, ut dari possit talis interpretatio textui constitutionis pontificiæ. Fas est igitur sequi in praxi opinionem benigniorem, scilicet clericum non recitantem Horas canonicas amittere solummodo fructus beneficii respondentes parti obligationum quam omisit.

* 545. — IV^o *Quæ causæ clericum eximant ab obligatione recitandi officium divinum?*

Causæ eximentes a recitatione divini officii sunt: impotentia absoluta, impotentia moralis et dispensatio.

De *impotentia absoluta* supervacaneum est dicere.

Adest *impotentia moralis* quando recitare non possumus Horas canonicas sine gravi nostri aut aliorum incommodo; puta si ægrotus, aut e morbo convalescens, timeat ne morbum aggravet recitando officium, vel recuperationem valetudinis notabiliter retardet...; item si urgeat necessitas invisendi ægrotos qui in periculo vitæ versantur, parandi concionem quæ omitti non potest, audiendi confessiones die festo... Quando hæc simul consociari non possunt, satius est omittere recitationem Horarum quam derelinquere ægrotum in agone, populum privare sacramentis, semetipsum gravi periculo exponere. At, quam periculosum sit ne quis, zelo male ordinato, negligat gravissimum officium orationis publicæ, nemo non videt.

Dispensatio datur a S. Pontifice, si sit ad longum tempus: recurrere licet ad Episcopum in casu particulari, ad tempus

breve. Episcopus potest etiam ad cautelam dare dispensationem in casibus vere dubiis, ubi scilicet urget sat grave incommodum ut merito dubitetur an præceptum adhuc obliget.

Nota 1^o Clericus qui versatur in vera impotentia, physica seu morali, non tenetur recitare alias preces loco Horarum canonicarum; quia præceptum ad Horas canonicas determinatur, non ad alias in genere preces.

2^o Qui non potest totum officium recitare, potest vero partem, ad illam tenetur, modo sit notabilis, adeo ut unam saltem horam constituat.

3^o Si impedimentum prævideat clericus, et possit anticipare recitationem Breviarii ante meridiem, id præstare debet, quoniam obligatio totam diem afficit. Dubium est tamen an idem dicendum sit de officio matutino, an clericus teneatur illud recitare die præcedenti. Cum jus commune omnibus concesserit facultatem recitandi Nocturnum cum Laudibus die præcedenti, videtur clericum obnoxium fore obligationi anticipandi in casu proposito; qui enim potest integrum officium intra latitudinem temporis assignati persolvere, debet ita res componere, ut, quantum in se est, adhibitis mediis jure concessis, suum munus exsequatur. Plures nihilominus, quorum sententiam valde probabilem existimat S. Liguori, aliter opinantur, quia facultas data anticipandi hanc partem officii diei subsequenter, est privilegium consuetudine introductum, quo nemo uti tenetur¹.

544. — V^o Quid jure præscriptum sit de cantu divini officii in choro²?

Benedictus XIV direxit, occasione jubilæi an. 1750, litteras encyclicas *Annus, qui hunc vertentem*, ad omnes Episcopos intra ditionem ecclesiasticam constitutos, quibus traditiones Ecclesiæ circa hoc punctum, gravis certe momenti ad cultum divinum, memorat. Ad tria capita quæstiones reducit: 1^{am} quæ

¹ Billuart, dissert. II, art. VIII, § 9. S. Liguori, lib. IV, n^o 155.

² De celebratione officiorum divinarum in choro, multa dicta sunt in sectione de Capitulis, art. IV.

canenda sint; 2^{am} quomodo cantus institui debeat; 3^{am} quibus instrumentis uti expediat in cantu divinarum officiorum.

I. *Quæ canenda sint in officiis divinis.*

Joannes XXII, Constitutione *Docta sanctorum*, quæ inserta est inter Extravagantes DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM, illos graviter arguit qui antiphonas et gradualia *motetis vulgaribus* supplent. Alexander VII præcepit ut, tempore quo divina officia persolvuntur, et venerationi fidelium exponitur sacrosanctum Sacramentum, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario, vel Missali, aut demum ex sanctorum Patrum operibus, ita tamen ut antea a S. Congregatione approbanda sint. Eadem sancivit Innocentius XII, qui generatim quarumcumque cantilenarum cantum prohibuit: in Missarum autem solemnibus et in Vesperis, solummodo permisit, ut carmen aliquod seu motetum ex hymnis, vel antiphonis, aliisque officii sanctissimi Sacramenti, relatis in Missali seu Breviario, nulla verborum varietate, cantari possit, ad devotionem fidelium excitandam, dum sacra elevatur hostia, vel publice veneranda exhibetur.

Nihil proinde fas est, intra publica officia, superaddere verbis liturgicis, nec immutare ritus præscriptos; sed legem chori in omnibus sequi omnino oportet. Huic regulæ consentiens non videtur consuetudo, quæ invaluit in pluribus locis, ut in officiis parochialibus cantentur carmina pia, linguâ vulgari, dum fit sacrum, aut exponitur sanctum Sacramentum. (Cf. decisionem Sanctorum Rituum Congregationis, die 29 mart. 1657, n. 1819.)

545. — II. *Quis modus servandus sit in cantu divini officii.*

Christifideles ab Apostolis informati sunt usu canendi psalms et hymnos Domino; unde sanctus Paulus ad Ephesios scribens, eos admonet ut gratias Deo agant in hymnis et canticis: « Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » (Ad Eph., cap. v, 18, 19.)

Canendi ratio varia fuit pro orationum diversitate. Aliquando clerus cum populo simul canebat, unicum chorum efficiens, sub moderamine cantorum qui *psalmistæ* dicebantur, et ad chorum dirigendum instituti fuerant. Quibusdam tamen in Ecclesiis, cum populus vocum inæqualitate, atque cantus ignorantia, confusionem pareret, cantus interdictus est, solique clerici id muneris sibi assumpserunt. Aliquando Psalmi et Antiphonæ alternis choris cantabantur (nº 528). Erat præterea responsorius cantus, quando scilicet, uno canente, chorus consonando respondebat. Demum *Tractus* dicebatur, si psalmus, aliave oratio, perpetuo quodam tractu, nulla mora vel responsione interposita, recitabatur¹.

Quavis ratione instituaturs cantus, ad præscriptum regulæ chori, summopere expedit ut sit gravis, rebus quæ canuntur aptus atque accommodatus, quod imprimis commendat concilium primum Mediolanense : « In divinis officiis, nec profana cantica sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ quam ore expressæ, adhibeantur. Cantus et soni graves sint, pii, et distincti, ac domui Dei, ac divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur. » Hunc scopum attingit cantus planus et unisonus, quem sanctus Gregorius adinvenit, et quo postea semper usa est Ecclesia Latina. « Cantus iste ille est, ait Benedictus XIV, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui si recte decenterque peragatur in Dei Ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur; et alteri, qui cantus harmonicis seu musicis dicitur, merito præfertur. » SS. Pontifices qui nihil prætermiserunt eorum quæ ad decentiam divini cultus, et clericorum informationem conferre possunt, ubi de seminariis instituendis actum est, inter cætera præceperunt ut alumni edocerentur cantum Gregorianum (nº 367).

¹ Azevedo, *Exercitationes liturgicæ*, exerc. II.

Communiter igitur præferri debet cantus *planus*. Quandoque uti expedit cantu *composito*, qui sic aptatur ad cantum planum, ut servata hujus integritate, superaddantur tantummodo tonorum consonantiæ. Vocatur etiam *contrapunctum*. Hunc commendat Joannes XXII, in citata Constitutione, pro diebus solemnioribus. Demum toleratur cantus *musicus*, modo tamen non theatri more et scenico strepitu, sed eo modo qui divinis laudibus consonet, peragatur. « Nobis satis erit admonere, ait Benedictus XIV, quod si musicus theatrorum cantus ita insituitur, ut populus spectator et auditor harmonicis quidem modulationibus oblectetur, verba autem plerumque non percipiat, diversum utique et omnino contrarium in ecclesiastico cantu servari debet, in quo illud imprimis curandum est ut verba plane perfecteque intelligantur. » Subinde Pontifex memorat exemplum sancti Augustini qui de se ipso testatur quantum fleverit in hymnis et canticis, suave sonantibus Ecclesiæ vocibus commotus. *Voces illæ influebant auribus meis, et eliquebatur veritas tua in cor meum, et ex ea æstuabat. Inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis.* His addit Benedictus XIV : « Flebat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum audiret in Ecclesiis sacrarum rerum cantus, probe audiens et intelligens verba quæ cantu efferebantur : fleret forsitan etiamnum ipse, si nonnullarum Ecclesiarum musicos cantus audiret, non pietatis sensu, sed doloris, quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret. » § 9.

546. — III. *De usu instrumentorum, quorum sonus cantui divini officii sociari solet, et de sono separatim a cantu, id est, de symphonia.*

Non statim, nec sine difficultatibus, usum instrumentorum in divinis officiis introduxerunt. Capella Pontificia canticum musicum habet, hactenus vero non recepit organum, aliave musicæ instrumenta. Plures olim erant in Galliis Ecclesiæ insignes quæ organum et musicam ignorabant, inter quas cita-

tur præsertim Lugdunensis, quæ gloriabatur nescire novitates. Prævaluit tamen, et in eo approbando, saltem in gratiam infirmorum, unanimes tandem fuerunt viri, non minori doctrina quam pietatis zelo conspicui. « Organa propter infirmos in Ecclesiis retinenda sunt, aiebat Bellarminus : non ita facile « admittenda alia instrumenta. » Alia etiam præter organum admittuntur, sed ea tantummodo quæ ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces inserviant, non quæ musicam theatralem efficiunt. Hæc enim instrumenta debent adhiberi ad vim verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis ac magis audientium mentibus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et ad amorem incitentur. « Si vero, ait Benedictus XIV, continenter « personent, et solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua quiescant, ut liberum spatium audiendis harmonicis undulationibus, crispatisque jaculationibus vocum, « præbeant, cæterum opprimant, sepeliantque cantantium « vocem sonumque verborum, frustraneus est, et inutilis ejusmodi instrumentorum usus, imo vetitus, atque interdictus. » § 12.

Ipsas tamen symphonias tolerari concedit Pontifex, ubi usu introductæ sunt, dummodo graves sint, earum prolixitate non plus æquo protrahant officiorum celebrationem, et inservire possint ad excitandam devotionem. Re quidem vera sonus organorum, etiam sine cantu, si recte ordinetur, potest suavi gravitate fideles juvare in oratione.

Licitum tamen non est supplere symphoniis versus psalmodiarum, antiphonas, aliamve partem quam cantare tenentur clerici, ad horas canonicas adstricti, et si id forte toleretur, necesse est ut submissa voce partes omissas recitent. S. Congregatio Rituum, dubio proposito « an ferendus sit usus, in archidiocesi Senensi existens, omittendi in choro partes illas tum divini officii, tum Missæ, quas organi sonus supplet, respondit « an. 1848, 22 julii : *submissa voce dicenda quæ omittuntur*

« ob sonitum organi ; quando non pulsatur, integre esse « cantanda¹. »

Hæc est præscriptio juris communis de cantu divinarum officiorum : quæ autem statutis locorum, ad mentem Ecclesiæ et juxta traditiones veteres, præscripta sunt, unusquisque servare tenetur².

¹ *Cæremoniale Episcoporum* designat dies quibus cantores non utantur cantu figurato sed Gregoriano ; item dies dominicas Adventus et Quadragesimæ, et ferias, quibus pulsari non debent organa, lib. I, cap. xxxviii ; lib. II, cap. xx.

² Hæc præscripta sunt statutis diocesis Parisiensis : « Nous défendons « étroitement... de toucher sur l'orgue des chansons et d'autres airs indignes de la modestie et de la gravité du chant de l'Église... de faire « chanter des filles ou des femmes en d'autres églises qu'en celles des communautés de leur sexe ; et de convier et inviter, par billets et par affiches, à venir entendre la musique, comme on ferait à un spectacle, « ou à un théâtre, sous peine d'interdiction des lieux où ces désordres se « ront soufferts, et sous autres peines de droit, contre les personnes qui « contreviendront à cette ordonnance. (E Synodo, an. 1674.) — Nous défendons expressément d'insérer dans les annonces des fêtes et cérémonies ecclésiastiques, soit qu'on le fasse par des affiches ou autrement, les « noms ni le nombre des musiciens qui doivent y chanter ou y jouer de « quelque instrument. (Mandatum Card. de Belloy, 25 aug. 1805.) — Nous « renouvelons les défenses portées par nos prédécesseurs... et nous prohibons toutes annonces, dans les journaux et affiches, qui auraient trait « soit aux messes, soit aux autres offices qui sont célébrés en musique. » Mandatum DD. Sibour, an. 1850.